

2/2003

IDIBVS AVGVSTIS

MMIII

RVMOR  
VARIVS  
XXV  
ANNOS  
NATVS

RVMOR VARIVS I  
RVMOR VARIVS I  
RVMOR VARIVS I

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS  
RVMOR VARIVS  
A D I V C

TOMVS 26

FASC. 148

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in ædibus, quibus nomen EDITIONS DU LAC est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	CHF	27.-
In ceteris Europae terris	EUR	18.-
In terris trans maria sitis	US\$	30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle (Stella) Gitta

Barbara Maier

Martinus Meier

Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

RV mittit: Christina Meier-Portner

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS, C/o EDITIONS DU LAC

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: [e.gitta@bluewin.ch](mailto:e.gitta@bluewin.ch)

[www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS DU LAC herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS DU LAC

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 300

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse	CHF	27.-
Europa/Europe	EUR	18.-
Uebersee/outre-mer	US\$	30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich  
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle Gitta

Barbara Maier

Martin Meier

Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:

Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Expédition: Christine Meier-Portner

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition

RVMOR VARIVS, c/o EDITIONS DU LAC,

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: [e.gitta@bluewin.ch](mailto:e.gitta@bluewin.ch)

[www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Bankverbindung/institut bancaire:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0



# PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Europa fuit filia regis Phoenicum Agenoris. Quae cum aliquando colligeret flores in pratis prope Tyrum sitis comitata a virginibus, Iuppiter eximiam puellae pulchritudinem conspicatus in amorem eius compulsus est. Cum igitur animum puellae allicere vellet Iunone uxore nescia, in formam speciosi tauri se convertit. Qua figura indutus postquam in Phoenicium descendit, se iumentis Agenoris regis immiscuit. Taurum ubi videt Europa, miratur, quod tam formosus tamque placidus est. Sed primo eum quamvis mitem tangere metuit, mox adit et flores candidum ad os porrigit. Et deus amans gaudet, et oscula dat manibus. Paulatim metu dempto pectus virgini praebet, ut manu palpet.

Puella autem nescia, quem premat, audet tergo tauri considerare. Qui a terra in mare progreditur, inde ulterius abit et per mare vastum praedam fert. Trepidat ablata litusque relictum respicit et dextera cornu tenet, altera dorso imposita est; vestis flamine sinuatur. Europam deus in insulam Cretam detulit ibique confessus se Iovem esse ex ea procreavit Minoem et Rhadamanthum.

Quis vestrum hanc fabulam de Europa et Iove nesciat? Non sine causa Creta insula 'cunae cultus humani civilisque Europae' dicitur.

Saeculo II p.Chr.n. autem Sextus Pompeius Festus scripsit: "Europam tertiam orbis partem ab Europa, Agenoris filia, certum est appellari. Sed alii de amore Iovis in taurum versi narrant, alii eam a praedonibus raptam et navem, quae Iovis tutelam effigiem tauri habuerit, in eam regionem esse delatam. Quidam ob pulchritudinem regionis per simulationem raptae filiae occupatam eam terram ab Agenore et Phoenicibus ferunt." Alii nomen nostrae continentis non fabulas adhibentes explicant sed dicunt Phoenicos omnes terras, quae in occidentem eorum orae sitae erant, 'ereb', id est 'terra tenebrarum', nominavisse, quia ibi sol occidebat. Id verbum 'ereb' Graecos in 'Europam' mutavisse.

Quomodocumque res se habeat, novum argumentum libelli 5+6/2003

vobis proponimus, quod est:

### Europa


Innumerabilia de continenti nostra scribi possunt, sive ad hanc praesentem aetatem sive ad alia et praeterita saecula sive ad futurum continentis pertinentia! Ut pauca tantum exempla dicam: De Europae hominibus et nationibus, de artibus, moribus, institutis consuetudinibusque incolarum, de usu cum hominibus ceterarum continentium, de historia....

Nolite cessare ergo et mittatis, quaesumus, nobis varias et quam plurimas symbolas ad hoc argumentum immensum!

Et omnes legentes et nos maximas gratias vobis agimus! Valet!


Daniel Weissmann

## © PER ELLIPSEM DICTUM ©



Stella Gitta

## Pedibus timor non semper addidisse alas




Inter alias animi perturbationes saepius timor nos adoritur, aliasque affectiones, ut plurimum tanquam umbra corpus comitatur. Etenim avarum sequitur comes ille perpetuus, a quo semper egestas pauperies reformidatur. Ambitioni adiungitur, quae probra et vituperia metuit. Quin et amor eo stipatus, qui nocte dieque a re amata repulsam pati veretur: perturbatio sane ceteris pertinacior, qua vix ullus carere possit, aut eam a se avertere. Immo vero reliquis affectionibus prior: Aliae siquidem malae aut noxiae esse non possunt, nisi quatenus perstat earum causa, qua sublata, tollitur etiam effectus. At timor citra ullam causam coniuncta saepe nasci potest, ut qui non tantum praesentia reformidet, se etiam futura, immo quae nunquam forte eventura sunt, cum tremore praesagiat.

Malum igitur hoc, quod opinione sola mali saepe subit speciem, nos perpetuo lacessit, ac omni quiete non tantum nos privat: sed usque adeo perterret, ut nobis metem et rationem eripiat, sensus omnes nostros implicet ac confundat, lethargicosque ac prorsus stupidos et immobiles reddat. Quin etiam metus vel minimus, omni prorsus virtute et robore cor nostrum spoliatur, tantoque ipsum constringit frigore, ut omnes febriles horrores ac rigores facile superet. Hinc sensim nascuntur terrores vani, vel incautus etiam ille metus, qui animos percellit, ut verissimum sit poetae dictum. *Pedibus timor addidit alas.*

Pedibus tamen timor non semper addidit alas. Scriptum reliquit Sigebertus, quo modo anno CM per leporem capta sit Roma. Cum enim Arnulphi Imperatoris, a Pontifice Formoso propter seditionem civium evocati, milites lepusculum versus urbem fugietem infectarentur cum clamore: Romani timore exanimati, sese de muro deiecerunt, et hostibus per factos acervos murum ascendendi locum dederunt.

Rettulit Stella GITTA



## Proverbia Hispanica

*Sabio es aquél que piensa antes de actuar.*  
Sapiens est ille, qui deliberat antequam agat.

\*

*La experiencia es la madre de la ciencia.*  
Experientia est mater scientiae.

\*

*Hablar bien no cuesta dinero.*  
Loqui bene pecunia non constat.

\*

*Lo que bien se aprende, jamás se olvida.*  
Ea, quae bene discuntur, numquam memoriae excident.

\*

*Nunca es tarde, si la dicha es buena.*  
Numquam est sero, si fortuna bona est.

\*\*\*\*\*

*A palabras necias oídos sordos.*  
Stultis dictis aures surdae.


\*

*Ama, y serás amado.*  
Ama, et amaberis.

\*

*Haz bien, y no mires a quien.*  
Bene fac, nec videas, cui.

\*



*El ruin mientras más le ruegan, más se extiende.*  
Ruinae quo magis rogantur, eo magis extenduntur.

\*


*Entre compañeros nada se hace por dinero.*  
Inter sodales nihil pecuniae causa fit.

\*

*No desprecies a quien poco es, que algún día mucho podrá ser.*

Noli spernere eum, qui parvus esse videtur, sed aliquo die magnus esse potest.

\*




*Quien encuentra un amigo encuentra un tesoro.*

Amicum qui invenit, thesaurum invenit.

In Latinum vertit Daniel Weissmann

## Acidule cogitata scriptaque altera



I

Rumor est apud Inferos Samosatenum Lucianum vehementi ira flagrare eundemque anxifero maerore contristari.

Haud sine causa: nuperrime enim cognovit narrativam fabulam suam, cui 'Historia vera' est index, cum Caroli Collodi 'Pinoculo' esse comparatam.

II

"Si non vis intellegi, non debes legi": haec proferens

verba Mediolanensis episcopus ille Ambrosius perobscuras ac vix intellegibiles Persii saturas abiecisse respuisseque traditur.

Quotam vero hodiernorum scriptorum particulam legendam servaremus, si tam severam iudicandi regulam aetate nostra sequeremur?

III

"Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius": hisce verbis in opere, quod 'Eunuchus' inscribitur, a poetici furti crimine accusationeque peregre sese Terentius Afer defendit.

Hodie autem nova, quae dicuntur, inventa permagni existimantur: exempli loco afferatur Ioannis Mariotti narratiuncula, cui 'Matilde' est titulus, cuius evolvens paginas ne uni quidem interpunctionis signo occurras.

Ab istiusmodi sane novitate di nos protegant!

IV

Henricus Thovez, Italicus litterarum studiosus qui exeunte undevicesimo p. Ch. n. saeculo floruit, unum Sapphus poeatriae versum plaris esse quam universa Latinorum poetarum carmina temere adfirmavit.

Mihi autem unum cuiuslibet antiqui modernive Latini vatis hemistichium plaris quam cunctae modernorum Italicorum versificatorum chartae plaris esse videtur.

V

Marium Luzi indignandum esse autumant, quod Nobelianum praemium, pluries promissum, octogenarius nondum accepit.

Ista una de causa ei stomachari licere arbitramur, quod inficetus

histrio, cui Darius Fo est nomen, dignus, qui palma illa donaretur, a Sueticis litteratis paucos abhinc annos incredibiliter est habitus.

Orestes Carbonero

### CANTICA „POP“ ET „ROCK“ A FRANCISCO SCHLOSSER LATINE REDDITA

#### *Where Have All The Flowers Gone*

Ubinam sunt flosculi,  
ubnam terrarum?

Ubinam sunt flosculi?  
Quid factum est?

Ubinam sunt flosculi?  
Hi sunt omnes marcidi!

Quis hoc intellegat?  
Quis hoc intellegat?

Ubi sunt puellulae . . .  
Ductae sunt uxores hae . . .

Ubinam sunt iuvenes . . .  
Hi sunt facti milites . . .

Ubi sunt gregarii . . .  
Sunt in sepulcreto hi . . .

### When I'm 64

Vetulum calvum  
 postea, dic,  
 delectabis me  
 etiam bono vino natalicio,  
 natalicio saviolo?  
 Mine negabis  
 Redeunti domum  
 sero aditum?  
 Mene amabis,  
 mene curabis  
 etiam vetulum?

### Qué será, será

Olim cum eram parvula,  
 rogavi matrem: «Quidnam de me  
 fiet adulta?»  
 Mater haud stulta  
 respondit callide:

// «Vita, somnia  
 incerta sunt, omnia  
 futura incerta sunt,  
 incertissima,  
 obscurissima.» // bis



## SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis (omnino V fuerunt) sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:



primum praemium: Anna Jaeger Fischer  
 Wesemlinterrasse 29  
 6006 Luzern

secundum praemium: Max. S. Müller-de-Vries  
 Chapfstr. 394  
 8214 Gächlingen

tertium praemium: Orestes Carbonero  
 Corso IV Novembre 9/A  
 I-15100 Alessandria

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

B	R	I	G	I	T
R	O	M	A	N	A
I	M	P	L	E	T
G	A	L	E	R	I
I	N	E	R	M	A
T	A	T	I	A	M



### "PAX HOMINIBUS" SOLUTIONES (RV 1/03)

- |                    |                     |
|--------------------|---------------------|
| A. Baebius         | K. Belgius          |
| B. Orithya         | L. Iole             |
| C. Euripides       | M. Brutus           |
| D. Tarquinius      | N. Villius          |
| E. Hamilcar        | O. Sertorius        |
| F. Iulius (Caesar) | P. Alcibiades       |
| G. Vettienus       | Q. Tullius (Cicero) |
| H. Socrates        | R. Rheginus         |
| I. Ninus           | S. Iohannes         |
| J. Valerius        | T. Scipio (Nasica)  |

Tu quoque si vis  
 lumine claro  
 cernere verum,  
 tramite recto  
 carpere callem:  
 gaudia pelle,  
 pelle timorem  
 spemque fugato,  
 nec dolor adsit;  
 nubila mens est  
 vinctaque frenis  
 haec ubi regnant.

Scriptor: Boethius  
 Titulus operis: Nubibus atris

Estelle Gitta

## Qui fructus ex fabula percipi possint

Fabulae, quarum nomen indicat falsi professionem, aut tantum conciliandae auribus voluptatis aut adhortationis quoque in bonam frugem gratia repertae sunt, auditum mulcent. Ait Colotes a philosopho fabulam non oportuisse confingi, quoniam nullum figmenti genus veri professoribus conveniret. Cur enim, inquit, si rerum caelestium notionem, si habitum nos animarum docere voluisti, non simplici et absoluta hoc insinuatione curatum est, sed quaesita persona, casusque excogitata novitas et composita advocati scena figmenti ipsam quaerendi veri ianua mendacio polluerunt?

Non solum homines in primis aetatibus vana doctrina usi sunt ad ea quae in rerum serie mira videbantur, sed etiam rebus fictis ad ea quae ad doctrinam pertinebant explananda. Nam quod ad aquilones cernebantur duo sidera, Arcti nomine, quae semper in conspectu erant neque unquam sicut cetera occidebant, antiqui finxerunt earum Arctorum alteram Jovis amicam fuisse, alteram filium; cum autem uterque in sidus esset mutatus, Junonem dolore commotam Oceanum oravisse ne pateretur ea sidera sicut cetera in se descendere ad quietem capiendam. Eodem modo omnes fabulae quae mutationes narrant illis temporibus pro physica fuerunt: credebantur mora rubra esse quod sanguine viri mulierisque qui inter se amavissent tincta essent, et perdix semper prope terram volare quod Daedalus, in perdicem mutatus, filii memoriam teneret qui altius volavisset; ita de ceteris fabulis. Nunquam equidem oblita sum mihi puerae narratum esse sambuco quondam fuisse uvae tam iucundas quam viti; sed illi arbori, cum proditor Juda ex ea se suspendisset, poma tam acerba facta esse quam sint etiam nunc. Quae fabula, etsi videlicet post Christum orta est, eiusdem plane generis est atque antiquae mutationes quas Ovidius collegit: unde conspici potest homines semper ad eius modi fabulas esse propensos, quae eos duplici modo delectent cum et mentes acriter pellant mirandis quibusdam facinoribus et cognoscendi cupiditatem explere possint cum rerum naturalium ac notissimarum rationem veri similem adferant.

Quid hoc? Quae sentis, simplici accipe animo. Perscrutari quid opus est? Parumne est quod moveris? Egregium quidem naturae munus est illa sentiendi facultas; quin etiam, ad ea excogitanda quae tu es editurus, plurimum valere poterit; sed ita poterit si eam adversus te ipsum non convertes.

Rettulit Stella Gitta

## DE CIRRELLA AUREA TRIBUSQUE URSIS FABULA

Roald Dahl

### REVOLTING RHYMES

#### Versiculi Horribiles

a Francisco Schlosser  
Rhenano-Palatinensi  
in sermonem Latinum conversi  
imagunculisque lepidis exornati

Haec sedes tua, illa patris,  
filii illa, illa matris.  
Tum pater: "Avenacea  
puls", clamat, "fervidissima!  
Conficiamus parvum, dum  
sit temperata, spatium.

*Ambulatio (matutina) palatum  
suscitat, appetentiam facit.*

Curnam terrarum improba  
haec edita est fabula?  
Quanam parentes boni re  
agnoscunt librum illum de  
procaci, protervissima  
libellum esse parvula?!  
Si possem, in custodiam  
puellam darem perditam!

Coxisti iucundissimum,  
exempli causa, prandium:  
avenae pultem calidam,  
potionem cafeariam,  
poma decocta. Mensa his  
exstructa nunc cuppediis.



Nam vulgo ambulatio  
est salutaris ratio.  
Haec cibi desiderium,  
potionis concit ceterum".

Quae coniunx coniugem amaret,  
si hoc in dubium vocaret  
hora tam matutina, qua  
afficitur molestia?

Vix domo existi, cum  
irrepat in tugurium  
haec Cirrula virguncula,  
nequissima furuncula.

Circumspicit mala pupilla –  
et tria videt iam catilla,  
quae pulte plena erant. Quam  
voravit avenaceam.



*Cena parata est. Cirrula, quae iam discumbavit, urbanitate plane caret. Edit et manducat ut porcus!*

Quid diceris, si epulum  
coxisses iucundissimum,  
quod devoraret parvula  
nefaria et improba?

Hoc autem non est pessimum!  
Haec pessima res omnium:  
Tu certe optima marita,  
quae tua, scilicet, in vita  
conquisivisti bellas res:  
nuntios divinos volucres  
vel Chippendaliensia (\*)  
vasa magnificissima.  
Sed delectaris maxime  
illa Victoriana re:  
sedecula escaria  
eximia infantaria.  
Ornata crassis natibus  
assidit hac socordius  
in sella fragilissima.  
Quae frangitur carissima.  
Puella proba hac in re  
clamaret: "Huius pudet me!"  
Sed Cirrula: "Sedecula  
haec", eiulat, "est perdita!"  
Quae eiulans vocabulo  
et utitur foedissimo.  
(Non audeo illepidum  
hoc scribere vocabulum).



*Cirrula sedeculam pretiosam pede dissipat impias voces iactans.*

Num putas parvum monstrum se  
nunc fuga dare? – Minime!  
Nequaquam! Ex contrario!  
Quod molestissimum est – pro!  
Ad relaxandum animum  
nunc petit dormitorium  
et subicit in lectis se  
omnibus tribus libere.  
Num cubitum it calceatus,  
qui homo bene est moratus?  
Ineptiae! Neutiquam!  
It nemo – praeter Cirrulam!  
Nam eius erant calcei  
lutosi atque squalidi,  
quin etiam canis unus horum  
oblitus, vae, excrementorum!  
Quid diceris, toralia  
si replerentur, alia,  
squalore, luto, fimo a  
puella nequam, perdita?  
(Qua pedes enim minime  
excalceaverat in re).



*Calceis squalidis utens Cirrula in lectum lautum intratura est*

Haec facta sunt in fabula,  
quae iterabo, scelera:  
Omnium primum scelerum:  
perfringit domicilium.  
Secundum: avenaceam  
furatur pultem optimam.  
Tertium scelus: sellam, vae,  
confringit parvae Ursulae.  
Malitia quarta: candida  
inquinat luto lintea.



*Ursula patrem amice monentem*

Vinculis talis perdita  
puniatur muliercula!  
Impune autem omnia  
fert scelera in fabula.  
Et clamant parvi e propinquo  
"Cirrella, eu!" et e longinquo  
"elapsa est! Propitiis  
sit gratia in caelo dis!"

Ego quidem alium  
maluissem exitum.



## ROMULUS MAGNUS

Friderici DÜRRENMATT (1921-1990) Helvetii narratoris et comoediographi ingeniosi ROMULUS MAGNUS ("Romulus der Grosse") comoedia historica fidei historicae contraria quattuor actibus scripta, anno 1948 primum acta, annis 1958 et 1964 retractata, anno 2000 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversa.

### Comoediae pars decima

ROMULUS: Vos omnes estis sagulis nigris induti, ut animadverto. E locis sub lecto, sub pulvinari, in armariis sitis prorepistis, ubi per dimidiam noctem degistis positionibus intricatissimis atque incommodissimis. Quem ad finem?

*Vastum silentium.*

TULLIUS ROTUNDUS: Tecum colloqui volumus, Imperator Romane.

ROMULUS: Imperator nescivit lege aulica iis, qui cum eo sunt locuturi, praescripta esse exercitia gymnastica.

*Surgit et utitur tintinnabulo.*

ROMULUS: Pyrame! Achilles!

*E recessu tremuli assiliunt Achilles et Pyramus vestibis dormitorii et pileis laciniatis induti.*

ACHILLES: Mi Imperator!

PYRAMUS: Maiestas!

ROMULUS: Affer togam imperialem, Achilles, laurum imperialem, Pyrame!

*Achilles eius umeris circumponit togam imperialem, Pyramus imponit coronam lauream.*

ROMULUS: Effer mensam et vinum, Achilles. Hoc momentum temporis est sollemne.

*Achilles et Pyramus mensam ferunt dextrorsum.*

ROMULUS: Nunc iterum cubitum ite.

*Pyramus et Achilles capita inclinant et maxime perturbati et terri exeunt per recessus mediam partem.*

"Pater", clamavit Ursula,  
"ubi puls avenacea?"  
Et Ursus, pater Ursulae:  
"In lecto puls est tua. Quae  
a Cirrula voratast. Qua  
vescaris re furcifera!"



(\* Chippendalius: faber lignarius  
Britannicus, qui duodevicesimo  
saeculo vivebat vasque decora  
fabricabat.

*Furor fit laesa saepius patientia. Ursus pater Cirrulam manibus strangulat.  
(Sunt etiam, qui inimicos suos de medio tollunt ampullas Molotovianas in eos obiciendo)*



Qui sedet in solitudine et  
quiescit a tribus bellis eripi-  
tur scilicet auditus locutionis  
et visus contra unum tan-  
tummodo pugnam habebit  
scilicet cordis.

## SOLUTIO

### PAX IN TERRA (RV 1/03)

Stella Gitta

ROMULUS: Imperator paratus est ad vos audiendos. Quid habetis dicendum?

TULLIUS ROTUNDUS: Reposcimus provincias.

MAVORS: Legiones tuas.

AEMILIANUS: Imperium.

*Vastum silentium.*

ROMULUS: Imperator non debet vobis rationem reddere.

AEMILIANUS: Tu debes Romae rationem reddere.

ZENO: Tu debes praestare errores tuos coram historia.

MAVORS: Tu nixus es potestate nostra.

ROMULUS: Non nixus sum potestate vestra. Si vestra ope expugnassem orbem terrarum, vobis liceret sic loqui, sed ego perdiidi orbem terrarum, quem vos non peperatis. Quem edidi e manibus meis tamquam nummum detritum. Liber sum. Nulla iam ratio mihi est vobiscum. Vos nihil estis nisi tineae lumen meum circumsaltantes, nihil nisi umbrae, qui occident, si ego non iam luxero.

*Coniurati ab eo ad parietem recedunt.*

ROMULUS: Nemini vestrum rationem reddere debeo nisi uni, quem nunc alloquar. Veni ad me, Aemiliane.

*Aemilianus lente a sinistris ad eum it.*

ROMULUS: Te amo tamquam filium, Aemiliane. Te puto esse magno argumento ultimo contra eum afferendum, qui, ut ego, se non defendit, hominem, qui iterum iterumque dehonestatur, qui est potestatis victima milies inquinata. Quid postulas ab Imperatore tuo, Aemiliane?

AEMILIANUS: Postulo a te responsum, Romule Imperator.

ROMULUS: Quod responsum accipias.

AEMILIANUS: Quid tu fecisti, ne populus tuus incideret in manum Germanorum?

ROMULUS: Nihil.

AEMILIANUS: Quid tu fecisti, ne Roma tam vehementer dehonestaretur quam ego?

ROMULUS: Nihil.

AEMILIANUS: Quamnam rationem reddes? Tu accusaris regni proditi.

ROMULUS: Non ego prodidi regnum meum, Roma ipsa se prodidit.

Quae noverat veritatem, sed elegit violentiam, noverat humanitatem, sed

elegit tyrannidem. Quae bis se humiliavit: coram se ipsa coramque ceteris gentibus, quae in eius potestatem erant redactae. Tu stas ante thronum invisibilem, Aemiliane, ante thronum Imperatorum Romanorum, quorum ego ultimus sum. Vin' tangam oculos tuos, ut videas istum thronum, istum montem calvariarum exstructarum, istaec flumina sanguinis, quae fumant in gradibus eius, istos Romanae potestatis cataractas aeternos? Quodnam expectas responsum de culmine aedificii Romanae historiae gigantei tibi dandum? Quid de vulneribus tuis dicat Imperator thronum insidens, qui superpositus est cadaveribus priorum alienorumque filiorum et hecatombis victimarum, quae bellis in honorem, bestiis feris in delectationem Romanorum ante pedes eius congestae sunt? Roma debilitata est, anicula facta est vacillans, sed eius debita non persoluta sunt, eius scelera non sublata. Subito novum tempus appropinquat. Exsecrationes hominum a Romanis oppressorum expletae sunt. Arbor inutilis caedetur. Ascia stipiti apposita est. Germani venturi sunt. Nos effudimus sanguinem alienum, nunc debemus solvere sanguine proprio. Ne te avertas, Aemiliane. Ne recedas a maiestate mea, quae coram te surgit culpa praevetusta historiae nostrae superfusa, tuo corpore etiam terribior. Agitur de iustitia, in quam propinavimus. Responde quaestioni meae: Estne nobis adhuc ius nos defendendi? Estne nobis adhuc ius pluris esse quam victimas?

*Aemilianus tacet.*

ROMULUS: Taces.

*Aemilianus lente redit ad eos, qui Imperatorem circumdant magno ambitu.*

ROMULUS: Tu redis ad eos, qui media hac nocte ad me repserunt more furum. Sinceri simus. Ne minimum quidem mentiamur neve paululum dissimulemus. Scio, quid occultetis sub sagulis vestris nigris, qualia manubria circumplectantur manus vestrae. At vos erravistis. Credidistis vos inermem adituros esse, sed nunc ego in vos insilio brancis veritatis vosque apprehendo dentibus iustitiae. Non vos me aggredimini, sed ego vos aggredior, non ego accusor, sed ego vos accuso. Defendite vos! Nonne novistis, ante quem stetis? Ego conscius patriam funditus everti,

quam vos defendere vultis. Ego frango glaciem, super quam vos itis, ego accendo radices vestras. Quid muti adhaerescitis cubiculi mei parietibus, vos viri luna hiemali pallidiores? Unum tantum habeo responsum vobis destinatum. Occidite me, si creditis me iniuste sentire, aut dedite vos Germanis, si verum est nobis deesse ius nosmet ipsos defendendi. Respondete mihi.

*Illi tacent.*

ROMULUS: Respondete!

*Tum Aemilianus pugionem raptim tollit.*

AEMILIANUS: Vivat Roma!

*Omnes pugiones stringunt et progrediuntur in Romulum, qui animo remisso sedet immotus, supra caput eius pugiones inter se coniunguntur. Tum e recessu clamor summi terroris tollitur ingens et incredibilis: "Germani veniunt!" Omnes terrore Panico correpti rapidissime foras excurrunt, per fenestras, per ianuas. Imperator sedet animo nequaquam commoto. E recessu terrore pallentes veniunt Pyramus et Achilles.*

ROMULUS: Ubinam sunt Germani?

PYRAMUS: Nolae sunt, Maiestas.

ROMULUS: Quidnam clamasti? Ergo cras demum aderunt. Volo nunc dormire.

*Surgit.*

PYRAMUS: Ut iubes, Maiestas.

*Ab eo accipit togam imperialem, coronam lauream, vestem dormitoriam.*

*Romulus cubitum it. Stupefit.*

ROMULUS: Adhuc relictus est aliquis in lecto meo cubans, Achilles.

*Famulus lucernam accendit.*

PYRAMUS: Qui est Spurius Titus Mamma, Maiestas. Qui ronchatur.

ROMULUS: Deo gratias ago, quod nunc tandem dormit athleta. Sine eum cubare.

*Trans illum lectum inscendit. Pyramus flando exstinguit lumina lucernae et cum Achille foras abit in tenebras.*

ROMULUS: Pyrame!

PYRAMUS: Mi Imperator?

ROMULUS: Si Germani advenerint, fac introeant.

## ACTUS QUARTUS

MANE, QUOD SEQUITUR IDUS MARTIAS ANNI QUADRINGEN-  
TESIMI SEPTUAGESIMI SEXTI. *Grapheum Imperatoris idem ac in actu primo. In pariete, supra ianuam, in recessu nulla iam imago ficta est nisi regis Romuli conditoris urbis Romae. Paucae supellectiles nunc sunt detritae, meliores omnes iam ablatae sunt. Iuxta ianuam stant Achilles et Pyramus et Imperatorem expectant.*

ACHILLES: Hoc mane est pulchrum et recreabile.

PYRAMUS: Non comprehendo hoc die, quo fere omnia pereunt, solem esse

ortum.

ACHILLES: Ne naturae quidem fides est.

*Silentium.*

PYRAMUS: Per sexaginta annos sub undecim Imperatoribus serviimus civitati Romanae. Ratione historica non intellego, quare eadem nunc me vivo desinat exstare.

ACHILLES: Equidem *lavo manus meas innocens a sanguine eius*. Semper enim fui camerarius perfectus.

PYRAMUS: Nos omni ratione fuimus unicae columnae potestatis imperialis vere

stabiles.

ACHILLES: Si nos abdicaverimus, licebit dicere: Nunc finita est aetas antiqua!

*Silentium.*

PYRAMUS: Finge animo tempus venturum esse, quo homines non iam loquantur Latine et Graece, sed linguis tam intolerabilibus quam ista Germanica!

ACHILLES: Finge animo regulos Germanicos et Sinenses et \*Caffares Zuluani capturos esse gubernaculum orbis terrarum regendi, qui milies tanto minus quam nos eruditi sunt! *Arma virumque cano* - totum Vergilium memoriter teneo.

Comoediae pars undecima in proximo libello sequetur!



# Nunc bibendum...

Haec rettulit legationem Constantinopolitanam  
anno CMLXVIII



Estelle GITTA

•	A	E	S	S	I	T	•	A	B	•	C	I	T	A	E	D	•	G	Y
D	C	C	E	S	A	C	•	D	O	P	I	S	•	T	A	A	E	•	P
A	•	T	I	S	L	A	V	M	•	I	C	I	S	I	E	D	A	E	S
D	A	D	•	C	I	M	N	I	O	B	•	S	•	B	O	B	I	•	I
O	N	•	M	A	T	•	N	V	•	•	P	I	B	O	N	P	Y	G	•
S	A	T	E	L	A	M	O	S	M	C	I	L	A	T	•	S	M	O	C
T	T	I	M	A	T	E	R	T	V	I	•	E	T	O	M	I	M	I	X
R	A	M	•	Q	•	M	A	R	R	S	F	I	M	P	E	•	O	I	T
C	•	S	Q	V	O	D	•	A	O	•	V	•	S	I	N	C	O	M	M
E	N	I	T	I	M	•	G	M	C	T	I	T	I	B	O	I	T	X	I
C	•	T	X	E	•	S	R	A	E	A	D	•	S	O	N	•	M	T	I
•	A	S	O	V	A	A	L	T	E	M	O	T	•	N	A	Q	E	N	O
S	I	T	A	Q	V	Q	A	•	M	V	S	A	A	S	O	V	M	•	N
•	M	I	N	I	•	T	A	R	•	I	•	R	•	N	S	•	Q	V	A
S	A	L	T	•	A	Q	V	E	•	P	S	E	Q	V	V	Q	D	•	M
A	L	T	E	M	E	•	A	•	A	S	A	•	•	I	M	V	A	R	R
Q	V	E	•	E	X	E	G	E	•	A	E	R	E	V	I	A	T	A	M
A	•	M	A	M	T	X	N	X	T	I	V	I	N	V	C	E	P	•	E
V	I	•	V	A	I	T	I	E	I	N	G	A	•	A	V	C	E	C	•
I	M	A	Q	V	N	I	A	•	N	V	N	M	E	I	N	V	C	V	A
V	V	S	•	Q	G	N	•	E	I	C	I	E	R	E	M	V	S	N	I
Q	•	E	R	E	V	V	C	E	P	E	A	V	E	M	V				
V	Q	•	V	S	•	Q	V	A	•	P	E	C	V	N	I				
I	V	I	M	•	Q	M	•	T	A	•	N	V	E	M	A				
•	M	A	V	Q	V	A	D	A	•	A	I	E	R	E	•				



Subnoto RV, ut ipse accipiam  
(Ich abonniere RV für mich selber)

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius  
inscriptio cursualis supra indicata est  
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-  
ment für jemanden, dessen Adresse oben  
angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-  
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-  
mentsrechnung ist zu senden an):

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

Ort, Datum: \_\_\_\_\_

Unterschrift: \_\_\_\_\_

Hier bitte  
frankieren

RVMOR VARIVS  
C/o EDITIONS DU LAC  
Estelle GITTA  
Ch. F.-Lehmann 2  
1218 Grand-Saconnex


PP/Journal

4702 Oensingen

2/2003

IDIBVS AVGVSTIS

MMIII



TOMVS 26

FASC. 148